

II f  
1168

X 231.6836

ORATIONES SYLVERSTAINIANAS  
INDICIT  
DE  
LIBERALITATE ILLIBERALI


PRAEFATVS  
FRIDERICVS CHRISTIANVS BAVMEISTERVS, R.

---

GORLICI, d. xvii Maii, c1800cLIII.

---

EXCVDEBAT IO. FRIDER. FIGKELSCHERERVS.





uas honeste habere licet, diuitiis ita abuti plerosque uideas, ut aut libidinum ministrae, aut ad iniuriam fiant adiutrices. Quod uero, tantum abest, ut opum accidat culpa, ut potius; diuitias uirtuti non esse inimicas, uel unius SYLVERSTAINII exemplo possit demonstrari.

Hic cum aliis omnibus, generosae mentis et stirpis uiro dignis, uirtutibus abundabat, tum hac praecipua, quod, considerata sapientique usus munificentia, aliis, praesertim egestate pressis, opitulandi studio cederet nemini, diuitiarumque fructum uberrimum ad posteros uellet redundare. Ea quidem ille re et excelsum magnificumque animum ostendit, et beneficentiae laudem consecutus est, quam nullus unquam dies, nisi qui saecula omnia, abolebit.

Viuit enim in animis nostris, uiuetque, dum litterae erunt, SYLVERSTAINIVS, eiusque beneficia omnium, qui iustum uirtutibus statuent pretium, sermonibus celebrabuntur.

Nos certe, ad quos uel maxime SYLVERSTAINIANAE munificentiae fructum pertinere uoluit diuina prouidentia, quantumcunque ingenii facultatisque ad praedicanda tanti Maecenatis in nos merita poterimus adferre, adferemus, neque adeo commitemus, ut partibus nostris defuisse uideamur.

Perlubenter ergo, et quanta possum maxima grati animi religione, crastina luce, pietatis, quam debet manibus SYLVERSTAINIANIS schola nostra, defungar munere, oratione anniuersaria

saria demonstraturus, quanti conueniat aestumari Syluerstainii liberalitatem, qua, nescio, an ad rem litterariam nouis in dies incrementis augendam quicquam possit esse accommodatus.

Mecum in concionem prodibunt tres doctrinae disciplinaeque nostrae alumni,

Carolus Gottlob Meisnerus, Gorlicensis.

Ioannes Godofredus Braunitus, Sagan. Siles.

Samuel Gottlob de Heine, Nobilis Siles.

quibus quemadmodum nuper sorte benigniore contigit, beneficio SYLVERSTAINIANO ornari, ita, pietatis obsecuturi legibus, id agent, ut gratissimum animum habendis orationibus testificentur, demonstrentque, SYLVERSTAINII liberalitatem non esse falsam, fucatam, illiberalem et foedam, sed ueri nominis liberalitatem, quae ex uirtute ortum trahat.

Est nimirum quaedam liberalitas, quae, uirtutem mentita, in uitis recte ponitur, dicitque meretur illiberalis et fordida, cum quod a uoluptate partu quasi excluditur, tum quod ad ostentationem quaeustumque unice refertur.

Videas, permultos, animi mollitie, nescio qua, ita ad benigne aliis faciendum commoueri, ut, nulla habita rei familiaris ratione, facultates temere exhauriant, turpique profusione et largitionibus ultra modum locupletent amicos quidem, se autem suosque ad incitatas redigant. Quod, teste Cicerone, tantum abest officio, nihil ut magis officio possit esse contrarium (a).

Quibus, si non deteriores, certe non meliores esse uidentur, qui, ostentatione magis, quam iuuandi studio ducti, non tam honestum illud, quod ex uoluntate benefica existit, sequuntur, quam uanam captant gloriolam, cuius nimia immoderataque elati cupiditate, uideri, quam esse, benefici malunt. Quo fit, ut, per iniuriam, eripiant aliis, quod aliis largiuntur. Caesar, hoc nomine, male audiebat apud Romanos, nec dubitat Cicero illiberalem hanc eius liberalitatem notare. Quod idem fecit, sed recte, Cato, in oratione

(a) Lib. I. c. 14. de Offic.

FK II/1168

oratione apud SALLVSTIVM. „Hic mihi, inquit, quisquam  
„manfuetudinem et misericordiam nominat. Iampridem equidem  
„nos uera rerum uocabula amifimus: quia bona aliena largiri, libe-  
„ralitas.,, (b)

Supereft fordidiffimum liberalitatis genus, quod ab auaritia  
originem repetit, et ad quaestum refert beneficia, ita, ut, qui de-  
derunt ea, plus, quam dederint, exspectent. Munera, a quae-  
stiuosa hac liberalitate profecta, recte uocat eleganterque PLI-  
NIVS (c) uiscata et hamata, propterea, quod auari, quemadmo-  
dum uisco aues, hamo pisces capi solent, ita insidiosis his benefi-  
ciis captant, eorumque inhiant opibus. Quae quidem uis-  
cata beneficia recte uitari iubet SENECA, (d) tutamque, negat,  
quemquam agere posse uitam, nisi qui illa, ut scopulos, fugerit.  
Plura de hamatis his uiscatisque beneficiis nosse si tua interest, ea,  
quae MARTIALIS, pluribus locis, de iis attulit, leges et expen-  
des. (e)

Haec de liberalitate illiberali. Liberalitatis generosae germa-  
naeque naturam indolemque, Illustris SYLVERSTAINII exempto,  
dum demonstrare orationibus, cras habendis, animus est, rogo  
Comitem Illustrissimum, Senatam Amplissimum, ceterosque Gym-  
nasia litterarumque fautores, ut praesentia sua audiendique studio  
nobis ne desint. P. P. Gorlic, clocccLIII, d. xvii Maii.

(b) Sallust. Bell. Cat. Cap. 52.

(c) Ita PLINIVS: Sic liberalis, non ut isti, qui iis potissimum donant, qui donare  
maxime possunt. Hos ego VISCATIS HAMATISque muneribus non sua pro-  
mere puro, sed aliena corrumpere. L. IX. Epist. 30. et in Panegyri. Nonne ut Regum,  
ita Caesarum munera, illitos cibis HAMOS, operatos praeda laqueos imitabantur  
cum priuatis facultatibus uelut hausta et multiplicata, retro secum, quicquid attinge-  
rant, referrent.

(d) Epist. VIII.

(e) Lib. VI. epigr. 63. Lib. V. ep. 56.



MC

II f  
1168



X 231.6836

ORATIONES SYLVERSTAINIANAS  
INDICIT  
DE  
LIBERALITATE ILLIBERALI

PRAEFATVS  
FRIDERICVS CHRISTIANVS BAVMEISTERVS, R.

GORLICI, d. xvii Maii, clcccLIII.

EXCVDEBAT IO. FRIDER. FICKELSCHERERVS.



Farbkarte #13

B.I.G.

